

1704.

1. Beermannus, Ioh. Christoph: *De iustitia armorum
Pebennensium.*
2. Burgen, Ioh. Georgus, a: *De vis elasticæ corporum
solidorum et fluitorum.*
3. Coccejus, Henricus: *De iure paenitendi in contractibus,
et, quae inde iure gentium dantur, condictionibus.*
4. Herold, Ioh. Barthol: *De fato matrimonii* Ed. 1711.
5. Jakobius, Lovatus: *De morib. libetris. N. T.*
- 6^o = Rhodius, Michael: *De scapulismo.* 2 Draft. 1704-1705
7. Schultz-Synectis, Joannes: *De poena mendacii.*

1705

1. Coccejus, Henricus: *De sacro-sancto Iulianis iure.*
2. Coccejus, Henricus: *De eo, quod iustum est circa numeri
rem suffragiorum: ubi de Calculo Minorum*

1705

3⁴⁵⁶ = Cocegios, Horum: De eo, quod justum est in dubio;
utri de genuina prexi iuris.

4. Rhodus, Michael: De auctore non probante.

1883 Leipzig, Almanach für das Jahr 1883
als beginnende Preisgabe
v. Chodat, Richard

4270.

4 F. 44

Fab 17044

DISSERTATIO JURIDICA
DE

FATOMA- TRIMONII,

(Vulgo)

Die Sehe werden im
Simmel gemacht /

41

Ex meris rectæ rationis & solidioris Phi-
losophiae principiis adornata;

Auctore

JOH. BARTHOL. Herold/ U. J. Lic.

LIPSIÆ,

Literis Brandenburgerianis.

1711.

Dissertationes

HISTORICO-MATHEMATICA
ET PHYSICO-MATHEMATICA


ACADEMIAE BEROLINENSIS

ANNO MDCCCLXVII

HOCHBARTHEM

1851

1851



DE
FATO MATRIMONII.
Dissertatio.

§. I.

Matrimonium tam ab Aristotele 1. Pol. 3. & 12.
quam Justiniano Imp. in §.1. Inst. de Patr. potest. Coniunctio maris & feminæ dicitur; Hinc
esse id non potest, nisi mutuo utraque con-
trahentium pars in se consentiat; Conjun-
ctio enim inter creaturas ratione utentes non fit, nisi mutuo
consensu. Hic ergo consensus pro discrimine objecti vel
societatem dat, 1.5. in pr. pro Soc. vel matrimonium ponit,
1.11. sponsal. vel aliud denique quodcunque negotium gignit,
lit. & tt. o. & A. prout circa res vel personas occupatus fuerit;
circa personas autem occupatur maxime in matrimonio. Un-
de & consensus Legibus causa ejusdem proxima nuncupatur,
ut in l. 30. R. 3. junct. d. l. 11. spons. c. cum apud. 23. c. Tua 25.
X. eod.

§. II.

Consensus est soboles voluntatis, & ita interponi
debet, ut etiam possit non interponi; hoc enim ni fierer,
nec laudem, nec vituperium mereri dicemur non magis
quam animantia bruta, quæ quicquid agunt necessitate qua-

A 2

dam

dam naturæ agunt, ita ut non possint positis omnibus prærequisitis non agere, vel contraria agere; quæ enim ego necessario ago, in iis non laudor, quia principium actionis non fuit in me, sed in alio me necessitante, ac proinde ego non si Dominus actionis meæ, sed alius qui me necessitavit. Sicut brutum non meretur poenam, quod aliud devoret animal, cum instigante fame, ita necessitetur, ut proposito animali devorando non possit non illud devorare.

§. III.

Hoc tamen secus est in homine; qui si agit, libere agit, non necessario, ut proinde liberrimum ipsi sit inire matrimonium & non inire, inire cum hac vel cum illa, quod paulo solidius tractandum propterea erat, quod sint, qui libertatem hominis cum necessitate interna stare posse contendunt, modo absit coactio, prout ita Daniel Chamier Delphinas Tom. 3. Panstrat. Cath. lib. 2. c. 5. n. 12. scribit; posse virtutibus ac vitiis suam constare bonitatem vel malitiam moralem, etiam si iis adsit aliqua necessitatis species, dummodo non sicut NB. coacte vel violenter. Ita ergo homini liberum erit inire matrimonium, quatenus nemo eum cogit, ab interna autem necessitate ad ineundum vel non ineundum ita prædeterminabitur, ut non possit aliter facere; Quod si verum est, frustra consensui, qui arbitrium & determinationem inter duo contradictoria vel contraria dicit, tantas tribueris partes, frustra enim rei necessario & sine tuto consensu evenienti consentias. Ut proinde illud laboris pretium faciamus, paucis principia ex saniori Philosophia, quidnam hac in materia satis ardua & intricata statuendum, repetemus, occasionem simul habituri explicandi id vulgare, quod matrimonia dicit fatalia, Germanice, Die Ehe werden im Himmel gemacht.

§. IV.

§. IV.

Triplex ergo est libertas, prima a servitute, de qua passim in LL. Romanis. Secunda a coactione, quatenus id libere dicitur agere, quod non violenter & coacte agit, velut intellectus libere intelligit, oculus libere videt, bos esuriens libere, id est non coacte, ad pabulum festinat. Tertia est a necessitate interna, quæ agens necessitat, ut vel agat vel non agat, nec contrarium agat, & hoc modo libere agit, quisquis actione sua inter contradictoria vel contraria indifferenter versatur.

§. V.

Tribus his libertatis speciebus duas adhuc addit Thomas Comtonus disp. Phys. 24. sect. 1. nempe libertatem a miseria, quæ est libertas vitae nostræ, de qua loquitur *Apostolus Rom. 8. vers. 21.* quin & in statu post hanc vitam beatorum liberabitur ab omni miseria & servitute corruptionis; Deinde libertatem a peccato, quæ est libertas gratiæ, qua liberamur a jugo & servitute peccati, de qua itidem *Apostolus Rom. 6. vers. 18.* liberati a peccato, servi facti estis justitiae; Cæterum si quis primam nostram libertatem a servitute paulo latiori accipiat significatu, ut tum secularem, tum spiritualem servitutem comprehendat, ad eam duas hæc species reduci possunt, de illa ergo meminerunt jura, de hoc sacra pagina.

§. VI.

Libertas ab interna necessitate duplex iterum est, alia quoad exercitium actus, quæ versatur inter contradictoria, & in eo consistit, ut quis positis omnibus ad agendum prærequisitis possit agere & non agere; Alia quoad speciem actus, quæ versatur inter contraria, quatenus quis positis omnibus ad agendum requisitis, eodem modo se habentibus potest contraria agere, ut amare vel odisse. Jam queritur, quænam

libertas homini competit in actionibus suis moralib us, queis virtus vel vitium inest? & quidem sunt, qui hominem liberum quidem a coactione pronunciant, sed negant liberum a necessitate interna, cui proinde actiones ejus morales obnoxias esse contendunt. per §. 3. Causam autem hujus necessitatis aliunde accersunt. Daniel Chamier Panstrat, Cathol. tom. 2, lib. 2, de Prov. Dei c. 5. eamducit a præscientia DEI. Et tom. 3. dict. lib. 2, de liber. arbitr. c. 5. a concursu cause primæ cum seunda. Johannes Camero Scoto-Brittannus in Praelect. ad Matth. c. 18. vers. 7. partim ab infallibili DEI præscientia, partim a dependentia voluntatis ab intellectu, partim a motione objecti & finis eam derivat, alii aliunde eam deducunt, quod relinquesmus Theologis.

§. VII.

Nos si quidem veram Jurisprudentiam simul atque Theologiam sectari velimus, necessario statuendum dicimus hominem omnino liberum esse non tantum a coactione, uti Chamier & Camero cum suis asseclis volunt, sed etiam a necessitate, ita ut habeat dominium pariter in actiones vitiorum ac virtutum, nullique in his subjaceat necessitatibus; sed dum alterutrum agit, ita id agat, ut eodem quoque modo non ageare, vel contrarium agere posset, si veller, modo prærequisita eodem modo se habere non desinat; id quod ita probamus: Homo in actionibus moralibus ad utramque contradictionis partem indifferenter se habet, & omnino talis est, ut positis omnibus ad agendum prærequisitis possit agere & non agere. Ergo est liber a necessitate.

§. VIII.

Antecedens probatur (1) per hanc deductionem; nam ad hoc ratione & discursu utitur, ut an faciendum aliquid sit, an omittendum apud se constituat, & facto licet hoc discursu, quo

(7)

quod v. g. constituit actionem hanc, v. g. quae sit virtuosa, esse faciendam, adhuc tamen habet indiferentiam, ut illam non agat, vel etiam contrariam nempe vitiosam agat, hanc autem discurrendi & consultandi facultatem frustra ipsi datam esse oporteat, nisi id, de quo discurrit & consultat, in ipsius arbitrio sit positum. Et eo pertinent leges, præcepta, dehortationes, exhortationes, promissiones præmiorum, & committitiones poenarum, quæ certe supervacanea esse negari nequit, si homo in actionibus suis quantum ad mores indifferens non sit, sed ad unam contradictionis partem determinatus.

§. IX.

Si enim dicas talia adliberi non ut homo libere eligat, sed ut objecta vel tanquam eligibilia, vel tanquam fugienda apprehendat, & ideo illa persequatur, haec fugiat, sponte quidem ex necessitate tamen juxta modum & diversitatem apprehensionis ex homine brutum facit; sic enim usu veniret in homine, quod experitur in canibus, qui comminatione poenæ quasi per modum dehortationis quandoque coercuntur, ne aliquid faciant, & alia significatione quasi per modum exhortationis moventur, ut aliquid faciant, quæ non inde proveniunt, quod in eorum potestate & arbitrio sit agere & non agere, sed quia juxta exigentiam diversæ apprehensionis diversimode etiam moventur, ut aliquid faciant vel non faciant, sponte quidem, semper tamen necessario, id quod ex eo apparet, quia mutata objecti apprehensione mutatur pariter in iis appetitus, ac proinde apprehensio objecti determinat eorum appetitum.

§. X.

In homine autem res proorsus aliter se habet, sive enim mutetur apprehensio mentis, sive maneat eadem, in ipso tamen

men semper est situm quoad exercitium actus agere & non agere, quod certo arguento est varium operandi modum non esse formaliter & proxime positum in apprehensione mentis, sed in libertate & indifferentia, quemadmodum hoc quoque constat, quod cognitis lege & comminatione poenæ & promissione præmii adhuc in homine situm est, ea ratione moveri & non moveri, quo ipso iterum evidens fit, ipsum ad alterutram contradictionis partem iis rebus non determinari. Sic per intellectum cognoscimus malum esse & inhonestum ac propterea fugiendum, habere consuetudinem stuprum uxore alterius; sed a sensu hoc judicatur jucundissimum & optimum, utrumlibet nunc amplectaris penes te est, non obstante quod alterum sit inhonestum; vides enim sèpius cum *Medea apud Poetam* meliora, probasque, deteriora sequeris.

§. XI.

Deinde (2) antecedens in §. 8. probamus ab absurdo. Nam si homo in actionibus moralibus ad alterutram contradictionis partem interna necessitate est determinatus, nec potest positis, quæ requiruntur agere & non agere; sequitur, quod homo non sit magis liber quam brutum. Nexus consequentiæ in eo est; si enim ad hoc ut aliquid dicatur liberum & libere agere, sufficit, si sit liberum a coactione, ut ut interea ad alterutram contradictionis partem sit determinatum & positis omnibus ad agendum prærequisitis necessario agat: & homo tantum liber a coactione est, cetera, quoniam ad alterutram contradictionis partem a causa externa determinatus, necessario agit, negari profecto nequit, eum magis liberum non esse quam bruta; Nam posito quod agens quia sponte & sine coactione agit, tanquam a ratione formalí liberum denominatur, uti volunt dissentientes, consequens erit, etiam bruta esse libera, quia non minus sponte agunt, quam homo, cum ratio

ratio formalis rei, quam denominat soli & semper inhæreat, quibus positis, & ipsam libertatem facili negotio destruxeris; Si enim homo ita liber est ac bruta, prout contendunt dissentientium hypotheses, per §. 9. sequitur, quod homo prorsus non sit liber. Ratio consequentia in eo est, quod nec ii, contra quos disputamus, bruta dicunt libera, & licet quidem vulgariter & abusive bruta etiam libera dici soleant eo quod non cogantur, sicut cum sponte sua ad pabulum feruntur, libere agere dicuntur, & tamen illa libertas cum apposito nempe a coactione, homo autem liber simpliciter dicitur.

§. XII.

Nec est, quod dicas, illud adhuc discriminis esse inter hominem ac bruta, quod ille cum ratione agat, hæc vero sine ratione; Quantumvis enim ita sit, nec nos diffiteamur, istud tamen haud sufficit, ut homo magis liber sit quam brutum: nam posico quod formalis ratio libertatis in spontaneitate consistat, & libere agere sit formaliter non coacte agere, sane quidquid non coacte agit, liberum erit, cum essentia rerum sint æternæ, & fieri non possit, ut homo v. g. sit, nec tamen habeat humanam naturam, ita ubicunque formalis ratio libertatis quam spontaneitatem esse dicunt, est, ibi quoque denominatum ab ea erit, ut adeo *to cum vel sine ratione agere* per accidens se habeat ad libertatem, quam sola spontaneitas constituit, quæ cum æque bruti sit communis, negari non potest denominatum quoque iis commune esse, quod quam sit absurdum, nunc non deducam, cum etiam id fateantur dissentientes.

§. XIII.

Nec est, quod differentiam inter bruta & hominem constitui adhuc in eo posse putas, quod licet homo necessitate interna ad alterutram contradictionis partem sit determinatus,

B

illud

illud tamen, quod agit, agat cum præmeditata consultatione & libero assensu, qui in actibus bonis complacentiam, in malis aversionem generet; id quod secus est in brutis.

§. XIV.

Respondetur enim: vanum est assensum tuum & præmeditatum consultationem rei quam necessario acturus es tribuere, sive enim istam consultationem & inde oriundam complacentiam vel aversionem supponas, quia tamen, quod agis, necessario agis, illud nihilominus agere deberes, etiam non posita hac consultatione, sicut vanum esset, si diceres: Cum necessario hoc die matrimonium in turum, data tamen ipsi facultate consultandi, ex quo enim hoc die necessario matrimonium init, frustra deliberat, & ad quid quaelo foret ea deliberatio? Ex hypothesi enim tamen fieret, ad quod quis est determinatus, nec posset sua consultatione aliud agere, impune ergo spernat illam deliberandi facultatem, & inde sequuturam complacentiam vel aversionem veluti effectum non habituram. Porro inter duo, quorum utrumque est in nostra potestate dari tantum deliberationem notius est, quam ut dicam; sicut naufragium metuens deliberat, merces an vitam potius sit amissurus, amissis mercibus, cadit haec deliberatio; idem quoque dicas de complacentia vel aversione, sive enim alterutram harum adhibeas, quia tamen necessario, quod agis, agis, non minus id ageres, licet illam non adhiberes, atque inde evidenter deduco hanc non esse veram libertatis rationem, nec proinde eadem nos a brutis distingui.

§. XV.

Deinde falsum est, poenam vel laudem nos mereri propter hanc complacentiam vel aversionem nam idem quoque bruta agunt, nec tamen laudem vel poenam merentur; Certe enim dum canis esuriens ad pabulum celerat, cum aversione, dum

dum in aquam vel ignem truditur, agit, & tamen nihilominus laude pariter ac vituperio caret: Nec denique is omnino est effectus voluntatis præbere actioni assensum, ita tamen ut aliter agere non possis. Assensum enim actioni præbere est ita assentiri huic actioni, ut etiam alii huic contrariae assentiri queas. Prout qui virtuose & contra statum societatis humanæ agit, ideo punitur, quia ita agit, nec virtuose agit, si enim id faceret, non puniretur, quæ sane ratio celat, si ad virtuose v.g. agendum interna quadam necessitate quis esset determinatus; Idem de laude dicas, laudatur enim quis non præcise & solitarie, propterea quod virtuose agat, sed etiam propterea quod non agat male, quæ laus cessaret, si tantum bene ageret necessario.

§. XVI.

Nec magis defendi illud potest, quod putat Chamier, cum Cameron principium electivum pariter in brutis esse a homine, ac proinde formalem libertatis rationem in electione minus recte constitui; Proabant Antecedens ex eo, quod etiam brutum eligat, quod sua naturæ consentaneum & conducibile putat, ex iisque voluptatem percipiat; cum ex adverso, quæ statum ejus naturalem minuere vel destruere sensibus percipit, averietur.

§. XVII.

Sed respondemus vane iterum hæc proponi, non enim dicitur a nobis, quod formalis ratio libertatis in eo consistat, ut in diversis rebus sit electio, & quæ eodem modo se non habent, prout in conducibili & non conducibili, quorum alterum appetendum, alterum fugiendum, hoc enim & brutis naturaliter competit, nec hoc agendo homo peccat vel laudatur sed quod sit facultas eodem modo re manente eandem velle vel non velle, vel contrariam velle; sic ergo exemplum si quidem

dem quadrare debeat, est formandum; quod canis esuriens apposito pabulo libere id recusare vel appetere possit, non ut hoc possit appetere & aversari baculum percutientis, quod si evictum fuerit canem habere electionem in eoque esse principium electivum appetendi vel non appetendi pabulum cum eluriat, liber omnino erit, ut homo: sed nunquam hoc fiet, & tantum abest, ut etiam vel baculo abactus, id nihilominus appetat, sicut musca saepi repulsa eundem repetit locum, ut hinc videant evidenter, nihil acturos quicunq; nobis ita objiciunt.

§. XVIII.

Dicis: quicquid tamen sit, libertatem non excludere omnem prorsus necessitatem, exinde omnium manifestissime probatur, quia Deus omnia agit liberrime, & tamen necessario agit bene; hinc *Chamier dict.* Tom. 3. lib. 2. cap. 4. n. 2. ita philosophatur: Arbitrium DEI, angelorum, diaboli, hominum glorificatorum & damnatorum est liberum; at eorum arbitrium non est liberum a necessitate interna. Ergo non semper arbitrium est liberum a necessitate interna. Hoc argumentum si confiterit, nihil inferre quod ad rem faciat, periisse oportet internati illam, quæ cum arbitrii libertate dicitur esse conjuncta, necessitatem, quod ita facile demonstramus.

§. XIX.

Præmittimus autem (1) liberiarum arbitrii nomine nihil hic intelligi, quam liberam agendi potentiam vel voluntatem; (2) voluntatem DEI posse dupliciter considerari, vel respectu ipsius DEI & bonitatis ejus, vel respectu creaturarum, illo modo non est libera, neque quoad exercitium, neque quoad specificationem actus; non quoad exercitium, quia Deus se & bonitatem suam ita vult, ut non possit non velle, ita amat, ut non possit non amare: Non quoad specificationem actus, quia

quum

quum ipse sit infinitum bonum, non potest se odiisse. Hoc modo libera est ad minimum quoad exercitium actus, quia si DEUS vult, libere creaturam producit, si non vult libere non producit, si vult, productam libere conservat, si non vult eadem libertate non conservat. (3) Quod, licet voluntas beatorum tam angelorum quam hominum ad bonum ita sit confirmata, & voluntas damnatorum tam Dæmonum; quam impiorum ad malum ab intrinseco ita determinata, ut amplius indifferens ad bonum & malum non sit, sed illa necessario bonum, hæc necessario malum velit, atque appetat, nihilominus libertatem adhuc habeat & indifferens sit, illa quod bona particularia, hæc ad mala particularia, idque non solum quoad exercitium, sed etiam quoad speciem actus; sicut etiam videmus in hac vita, quod licet hominis voluntas libera non sit quoad bonum vel malum in communi, sed ad id ita sit determinata, ut quicquid vult & appetit, alia ratione non velit, quam qua bonum est, vel esse videtur, nihilominus tamen quoad bona particularia indifferentiam habeat, tam contradictorie quam contrarie; ita quoque nihil obstare videtur, quo minus voluntas beatorum licet ad bonum, & damnatorum licet ad malum determinata sit, libertatem tamen & indifferentiam adhuc habeat, illa quidem ad hoc vel illud bonum, hæc vero ad tale malum.

§. XX.

His præmissis dicimus Chamieri syllogismum vitio quatuor terminorum laborare: Medium enim aliter sumitur in majore, aliter in minore. Major vera est, de arbitrio quo DEUS vult creature, quas amat, libere; Minor de arbitrio, quo vult se & suam bonitatem, quam amat necessario; iterum major vera est de arbitrio, quo beati bonum, damnati malum volunt in particulari, quod faciunt libere. Minor de arbitrio,

quo iidem volunt bonum vel malum in communi, quod faciunt necessario. Sin vero medium utrinque eodem modo sumatur, minor evadet falsa, v. g. Arbitrium DEI, quo amat se, non est liberum a necessitate, arbitrium DEI, quo amat se, est liberum, ergo quoddam liberum non est liberum a necessitate: Arbitrium, quo beati amant bonum, damnati malum, in communi non est liberum a necessitate, arbitrium, quo beati amant bonum, damnati malum, in communi est liberum. Ergo quoddam liberum non est liberum a necessitate; minor utrinque falsa est.

§. XXI.

Evidet hactenus est, idque evidenter, quod homo sit liber in actionibus moralibus non tantum a coactione, quam libertatem quoque brutis concedimus, sed etiam a necessitate interna, ita ut sit principium liberæ actionis, ut quod. Restat nunc, ut videamus etiam principium libertatis ut quo. Et hoc sine dubio est facultas aliqua seu potentia in homine; sicut id non solum exinde patet, quod homo nihil operatur, nisi per potentiam vel facultatem aliquam, perinde ut reliquæ causæ secundæ, sed inde etiam, quod libertas in actu primo definitur per potentiam, qua agens liberum est potens agere & non agere. Duplex autem generatim in homine & potentia activa & passiva; activa vicissim vel materialis est, vel immaterialis: utra erga libera dici mereatur, videndum; & quidem potentiam liberam in ordine ad passionem definiri non debere, haec evincit ratio, quod passio ut passio non sit libera patienti ut sic, sed quidquid libertatis ei tribuitur, actioni competit, & ipsi propter actionem, si enim agens vult operari, non est in potestate patientis non recipere actionem, sicut ex adverso si agens non vult operari, non est in potestate patientis non recipere actionem, sed necessario eam non recipit.

pit. Si enim actio est in subjecto, necessario infert passionem in eo, si non est, etiam passionem non infert. Neque enim passio esse potest, nisi quatenus ab agente infertur, neque esse non potest, si ab agente infertur, ut proinde potentia passivæ libertas non competit: *Hornej. Phil. Mor. lib. 2. 6. 5. n. 4.*

§. XXII.

Potentia ergo activa adscribitur libertas in homine ut rectissime censet *Suarez. in Met. Tom. I. Disp. 19. Sect. 2. n. 19.* Est autem vel materialis, vel immaterialis seu spiritualis, illa animæ competit, quatenus eminenter continet animam vegetativam & sensitivam; haec quatenus est intellectualis; Potentia materialis formaliter libera esse non potest, operatur enim qua talis absq; ratione & est agens mere naturale; potentia autem libera, quatenus est talis, non operatur absque ratione, ac propterea agenti naturali contradistinguitur: Quia ergo libertas materiali potentia non tribuitur, necessario dabitur immateriali seu spirituali; quarum cum duas tantum sint intellectus & voluntas, necesse omnino est, libertatem vel alterutra habeat, vel utraque simul: uti infert *Hornejus dict. loc.*

§. XXIII.

Et quidem ex *Aristotele lib. 9. Met. c. 2.* ultimam hanc sententiam deduci posse putat *Durandus lib. 2. sent. dist. 24. q. 3.* Et *Francisc. Piccolomini in Etb. 2. cap. 43.* qui proinde libertatem utriusque potentiae tribuunt, magis tamen intellectui. Per has rationes, (1) quia intellectus magis est indifferens ad opposita, nam intellectus proponit objectum voluntati, nisi ergo is indifferens esset, in dijudicandis oppositis, nunquam talis foret voluntas. (2) Quia intellectus est minus dependens quam voluntas, ac proinde magis liber est, quo magis enim aliquid

aliquid dependet, eo magis servit, at vero intellectus tantum dependet ab objecto, voluntas autem demum ab intellectu ejusque judicio practico, ita ut operari nequeat, nisi praecedente operatione intellectus.(3) Quia intellectus est magis rationalis quam voluntas; nam libertas est affectio potentiae rationalis; quo magis ergo quid est rationale, eo magis liberum est, at vero intellectus per essentiam est rationalis, voluntas solum per participationem, quatenus intellectui subordinata potest ab ipso dirigi,

§. XXIV.

Verior tamen his non obstantibus omnino est contraria sententia, libertatem nempe formaliter competere voluntati non intellectui, contra Durandum & Fr. Piccolom, quam defendunt S. Thomas summ. Theol. p. 1. q. 83. art. 3. Henric. Gandavensis quodlib. 1. q. 16. Scotus sent. 2. dist. 25. Ferrarius lib. 3. contra Gentes. c. 73. Javolenus l. 9. Met. q. 8. Petr. Fonseca l. 9. Met. c. 2. q. 2. sect. 3. Suarez. dict. disp. 19. sect. 5. n. 13. Becanus p. 2. Theol. Schol. t. 1. tract. 1. c. 2. q. 3. Hornej. loc. cit. Stabl. Inst. Met. cap. 6. & probatur hoc modo: Tres sunt operationes intellectus, (1) simplex apprehensio, (2) judicium, (3) discursus, in quarum nulla tamen est libera; non in prima, nam positis omnibus ad apprehendendum requisitis non potest intellectus illud non apprehendere, sed necessario illud apprehendit; sicut potentia visiva positis omnibus ad videndum necessariis non potest suspendere visionem; sed necessario vider; Non in secunda; quando enim intellectui propositio propinatur, & simul adsunt argumenta evidentia & necessaria, quae evincunt veram esse, non potest cessare, quin assensum praebeat, nec in ejus potestate est, assentire vel dissentire; si convincant, falsam esse, non potest suspendere dissensum, sed necessario dissentit; quod si argumenta sint probabilia, necessario opinatur, si contraria &que probabilia necessario dubitat,

bitat, nisi accedat inclinatio & imperium voluntatis. Denique nec in tertia, si enim præmissæ sufficienter præsentat obiectum, & consequentia est evidens, necessario assentitur conclusioni; sufficiens enim objecti præsentatio, & evidentia consequientiæ determinant intellectum, eumque ad assentendum conclusioni trahunt, ac proinde intellectus per se facultas naturalis, ejusque actus non sunt liberi, quatenus ab intellectu eliciuntur, sed tantum quatenus sunt imperati a voluntate, ut adeoque voluntas sola sit formaliter libera.

§. XXV.

Removebimus nunc dubia in §. 23, mota. Et quidem ad (1) R. cum Suarez, d. disp. 19. scđ. 5. n. 22. & quivocationem esse in voce indifferentiæ, indifferentia enim intellectus ea tantum est, quod intellectus ostendat rem esse indifferentem, seu tam hoc quam illud indifferenter eligi posse, quod causa liberæ electionis esse potest, electio ipsa non potest. Voluntas autem non tam vult indifferentia, quam indifferenter vult, quidquid vult, hinc ejus indifferentia dicitur formalis, intellectus autem objectiva; quod ergo magis est indifferentis ad opposita formaliter seu eligendo alterutrum oppositorum, illud quoque magis liberum est, & ita negatur minor, intellectus enim ad opposita eligendo prorsus non est indifferentis, cum electio ipsi non competit, sed tantum dijudicatio pro utravis parte, v.g. intellectus proponit voluntati, quam fœda sit actio adulterii; sensus contrarium suadent, in utrius nunc partes inclines, voluntatis est imperium. Vid. Hornej, d. loc. n. 9.

§. XXVI.

Ad (2) R. Negando quod libertas consistat in independentia, sed consistit in indifferentia; nec hic loquimur de libertate a servitute, de qua illa ratio secunda concepta est, sed de libertate a necessitate. Deinde actus intellectus omnes

C

qua-

quatenus ad imperium voluntatis fiunt, sunt imperati, & ea ratione libertatem habent, qua a voluntate dependent, non minus ergo intellectus a voluntate dependet in operando, quam haec ab illo

§. XXVII.

Ad (3) R. Stahlus in Inst. Metap. d.c. 6.p.m. 68. Ceterum illud adhuc disquirunt Philosophi, an voluntas eodem instanti & punto temporis, quo aliquid vult idem possit non velle, aut nolle; & contra Occamum Gabrielem & Nominales plures affirmativam defendimus cum Hornejo post Scotum sent. i. disp. 39. Capreol. 2. disp. 25. Herveum quodlib. 1. q. 1. dub. 6. Gregor. Ariminens. 1. sent. disp. 39. Socinateng. Met. q. 17. Conimbricens. in Logic. lib. 1. de interpret. cap. 8. q. 1. art. 1. Molin. de concord. lib. arbitr. q. 14. art. 13. disp. 24.

§. XXVIII.

Licet itaque intellectus velut potentia spiritualis cognoscat, quæ homini non tam qua tali, quam qua civi seu quatenus societatis humanae membrum & pars est, proponat, quæ sint justa ac propterea amanda, & ex adverso, quæ sint turpia & propterea fugienda; Licet fines rerum naturalium anxie indaget, & perscrutetur, licet dehinc tacitam creatoris voluntatem observet, exinde tamen homo nec laudem meretur nec vituperium; intellectus enim opposita tantum proponit, nempe honesta & turpia additis rationibus pro fugiendis his, amplectendis illis, quod semper facit, adeoque semper laudem quis meretur, nunquam vituperium, si laudis vel vituperii principium esset intellectus. Sed voluntas post omnes has intellectus operationes quatenus honesto relicto (licet intellectus satis persuaserit, hoc unice esse amplectendum, siquidem societas humana laedi non debet) ambit turpe sub specie nempe boni apparentis, v.g. adulterium quatenus voluptatem generat, quæ est bonum apparens; Voluntas, inquam, sola facit, quod vi-

tupe-

tuperiū mereamur, dum præ honesto eligimur turpe, ut adeo evidens sit actum intellectus non esse peccaminosum, cum sit naturalis, & ab objecto dependeat, sed solum voluntatis actum adeoq; solam electionem turpium præ honestis actionem esse moraliter malam, & contrariam moraliter bonam,

§. XXIX.

Ut nunc quæ fusi paulo diximus, contrahamus & rem a thesi ad hypothesin transferamus; Dicimus; In hominis arbitrio simpliciter esse principium electivum actionum suarum, eumque libertate tam contradictionis quam contrarietatis a conditore naturæ prædictum, ut quum agit, possit etiam non agere, dum virtutem colit, possit etiam vitium eligere, non successive tantum, sed eodem instanti, non quidem cadente similitate super actum secundum, quod absurdum foret, sed super primum; & hac ratione liberum omnino ipsi esse in ejusque positum potestate inire matrimonium vel non inire, inire cum Mævia vel cum Caja.

§. XXX.

In contrarium heic quidem allegari potest & solet tritum illud: die ēhe werden im Himmel gemacht/ & quod fati lege immobilis rerum humanarum ordo feratur, ut ait Livius, & Curtius: eludent licet quibus forte ac temere humana negotia volvi agique persuasum est, euidem aeterna constitutione crediderim nexusq; causarum latentium & multo ante destinatarum suum quæq; ordinem immutabili lege percurrere lib. 5. cap. ii. cui constitutioni omnia humana subjecta, ut Poëta canit:

Fat a regunt orbem certa stant omnia lege.

& πάντες ὅταν θεωποι εἴμασμένην ὑπόσευται καὶ γενέσι καὶ μεταβολῆ, omnes homines fati subjiciuntur & initio & mutationi. Verba sunt Mercur. Trismegist. c. 12. Poemand. adeo ut nec consilio prudenti, nec remedio sagaci divinæ providentiaz fatalis dis-

positio subverti vel reformari possit, *Apul. Metam.* 9. in prænulla enim vis humana vel virtus meruisse unquam potuit, ut, quod præscripsit fatalis ordo, non fiat. *Ammianus lib. 23. c. 11.* Hinc serio *Græcus* ille exclamat: ζεῦ, ὅτι δῆ γενέσθε ἐν τῷ Θεῷ αἱ μίχανοι ἀποργάνως ἀνθεάπως, καὶ δὲ γὰρ πιστὸς λέγεται εἰδὼλος πεῖθεντος δεῖς. O *Hespes*, quod diuinitus contingere debet, id homo nulla arte a se dispellet, ac ne verisimilia quidem dicentibus fidem habebit. *Herodot. lib. 9. c. 16.* queis conformiter quoque *Demosthenes*, cum Athenienses suos vedit consilio nihil facere, aperte clamat, vereri se μήτε δεμόνοιο τὰ πεάγματα ἐλαύη, ne quid diuinum rebus se immisceat & adbereat. Quæ usque adeo in multorum mentibus radices egerunt, ut destinatae huic necessitatati fatoque fatuo vel ipsum etiam Deum subjiciant. Ita *Silius Ital. lib. 5. vers. 74.*

— heu super i fatis certasse minares,
Imo Jupiter ipse apud alium Poëtam

— me quoque fat a regunt:

& Apollo Pytius apud Herodot. τὴν πεπρωμένην μόλιν αὐδονατα ἵστω
διποφυγέντες θεῷ. Decretam sortem nec Deo quidem est effinge-re, multo ergo minus moralium cuiquam id licebit.

S. XXXI.

Hæc si vera est sententia, frustra certe sit oportet quicquid de hominis libertate in contrahendo matrimonio dicitur. Sic enim quod matrimonium ineam vel non ineam, ducam hanc vel illam, non mihi vel libertati meæ, sed coeli decreto adscribendum, sunt enim conjugia fatalia, die ēre werden im Himmel gesta; quo posito decreto ne effectu id careat, simul quoque med' a addi queis illud effectum sociatur decretum, oprotrit, medium autem aliud esse non potest quam prædeterminatio Physica, quæ est qualitas quædam antecedens omnem voluntatis humanæ operationem, qua voluntas sic prædetermina-

mina-

minatur, ut infallibilem cum effectu producendo, quem scilicet coeli decretum jam determinavit, conjunctionem habeat; v.g. Decretum est in cœlo me olim ductorum Mæviam juxta illud: die Ehe werden im Himmel gemacht; hoc decretum ne effectu careat, voluntas mea cœlitus ita ad hanc Mæviam determinatur, ut non possim non eam ducere, nec ducere Cajan: si enim liberum mihi hoc foret, evenire forte posset, ut Cajam ducerem, adeoque eluderem decretum, quod tamen, quia infallibile est, fieri non potest, necessario ergo, quod decretum est, in cœlo sit, ac proinde cadit mea libertas.

§. XXXII.

Alii quidem ut colorem huic sententiae, cum alias ita simili citer intellecta vel ipsis ejus patronis abs bona videatur, addant, dicunt non hæc eo esse intelligenda sensu, quasi fato omnia fiant, ita ut homo frustra operando ea flectere nitatur, ac in vanum, quidquid agit, laboret, sed eum esse ordinem causarum & eventuum, ut quæ sunt etiam humana ratione aliter cadere non debuisse judicemus, & sapientiam Nominis ita res omnes dirigere & flectere, ut tamen ipsis illuc ivisse videamur, cum ad peccatum quidem non impellat DEus, attamen ad lapsum, id est, res & fortunas humanas mutet, ab alto dejiciat, ab imo attollat, sicut nos ipsi consiliis facitisq; gradum nobis fruimus ad fatalem illum lapsum seu ascensum, quod declarant similiter qui in vinculis a lictore ducitur, plerumq; sponte it, trahend⁹ tamen nisi eat, ita quoq; homo cœlitus licet determinatus, sponte tamen agit, trahendus nihilominus, si agere nolit.

§. XXXIII.

Cæterum absurdum est hæc sententia; Quippe ejus Patroni quidem dicunt, viam ineundam esse, quæ ad fata ducat, sed id iterum expresse ex fato esse consentetur, ut adeo res eadem recidat; nam fatum primo ponunt, post ne fatum

effectu careat, alio fato actiones, cogitationes sensusque hominis ita determinari ducique ajunt, ut non possit non ille effectus sequi, quem fatum determinavit, eo scilicet quod mentem tunc hominibus adimat supera illa mens, quæ cujuscunq; fortunam mutare constituit, consilia corrumpit. *Vellej. Patern. lib. 2.c. 57.* quo allegant illud *Ammiani Marcellini. lib. 14. c. 36.* dicentis: *manum injicientibus fatis hebetari sensus hominum & obtundi, ut quod accidit merito accidisse videatur, & causas in culpm transeat.* Et illud *Luciani lib. 7. vers. 58.*

*Hoc placet o superi vobis inverttere cuncta
Propositum nostris erroribus addere crimen.*

§. XXXIV.

Ut ergo objectioni in §. 30. propositæ faciamus satis, eamque quo difficilior est, eo solidiori diluamus industria: præmittimus eam non procedere, sed a vero abludere objectam sententiam quam maxime. Alias enim certe omnis differentia inter homines brutaque vapularet, ut ex dictis patet. Remi ergo omnino ab homine movendi sunt in hac cymba DEO ad clavum quidem sedente: τῆς γαρ θείας & συμμαχίσης προνοίας τῶν τῶν αὐτούσιων, Θελέμασι τε καὶ περίγμασι, πονηρὸν αὐτοῖς απαντᾶ τὸ τέλος, καὶ σφόδρα τοι ἐναντίωτοι, γάτε γαρ Θελφόεσσι οἱ Θελφόεσσι, γάτε ἀνδρεῖσσι οἱ ἀνδρεῖσσι, αλλὰ τὰ τε σοφα Θελέματα πρέστες αὔσοφον τελέντασι πέραις, καὶ τὰ γενναῖα καὶ ἀνδρεῖωτά τα περίγματα, ἀνανθρόν τε καὶ μάλα αἰσχρώτων πήλαι παρηγντα. Nam ubi divina Providentia non commilitat, consiliis actionibusque hominum malus iis exitus obvenit, & cogitationibus valde adversus; nam tunc neque vir consultus, consultus est, nec fortis, fortis, sed etiam sapientissima consilia insipienter desinunt, & generosa maxime ac fortia facta turpem & infamem exitum consequuntur. *Niceph. Greg. lib. 7. c. 8.* Causa itaque secunda non agit, nisi adjuta a prima, nec prima nisi coagente secunda, non enim votis

votis nec mulieribus suppliciis auxilia Deorum parantur, vigilando, agendo prospere omnia cedunt. *Sallust. Catilin. c. 52.*
 nec exspectabil agenti in sinum devolatur amictoriam aut fortunam esse, ut ait *Livius*, nam θεοὶ τὰ ἀγαθά τοις πόνοις πωλεῖνται,
Dii bona laboribus vendunt & fortioribus adsunt. *Tacit. lib. 4.*
Hist. cap. 17. *Dii probibebunt hec inquires quidem, sed nunquam propter te de celo descendenter, tibi dent mentem oportet ut prohibeas.* *Livius 6. 18.* quisquis ergo rebus tuis bene præesse cupis, vigilans esto, præterita considera, ex iisque regulam strue futuris, & quantum humano consilio potes, prævide, quo inclinent se fata & tu ad illa, καὶ γὰρ εἰς αὐτῶν ἐδίδασκετο περιγενέτων ἀνθρώποις, ως ὅσα μὲν συναρμένην ἔχει τινὸς ἀνθρώπου δεξιῶν, τούτους καὶ γῆς θύλασσα μάχεσθαι καὶ αἷς, ὡστε τινὶ δραπέτῃ δεῖ καὶ τὴν δίκης αἰνάτοις δραστηρίας ἐπιτίθεσθαι, ex ipsis factis homo discat, quacunque cooperantem & commilitantem non habent supernam dexteram, bis terram & mare & aerem adversari, tanquam fugitivum aliquem DEI & justitie violatorem efficaciter per sequentia.

§. XXXV.

His ergo, quæ opposita sunt, non obstantibus, hanc formamus conclusionem: Nulla causa secunda, sive sit necessaria sive libera, de facto prædeterminatur per aliquam qualitatem physicam præmotibam illius cause ad operandum: Ita omnes fere sincerioris Philosophiæ *Dd. securi S. Thomam*, cuius verba perperam interpretati quidam, falso illum sibi Patronum adsciscunt & auctorem, ex eo quod *Thomæ* solenne fuerit hoc axioma, causam secundam non agere nisi ut motu a prima, recte autem *Squarez* disp. 22. *Metaph. sect. 2. n. 14.* ostendit, axioma illud non sic usurpatum esse a *Thomâ*, quasi oporteat causam primam prævia operatione movere, sed sufficit, eam cooperari.

§. XXXVI.

Ratio autem conclusionis est quoad primam partem;

Quia

Quia prædeterminationis physicæ ex parte causarum naturalium prorsus nulla est necessitas nullaque utilitas; cum enim causa necessaria ad hoc ut exeat in actum sufficienter sit expedita, partim per concursum Dei generalem & simultaneum, partim per suam virtutem activam jam determinatam ex via sua formæ ad producendum effectum proportionatum suæ virtuti, juxta illud: num quid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis fucus? non est ei necessaria vel utilis illa determinatio physica; sed neque utilis vel necessaria est prædetermination ad hoc, ut causa secunda necessaria subordinetur causa prima; & ut a causa prima moveatur ac ad agendum applicetur, veluti instrumentum per modum ipsis impressum. Quia causa necessaria (idem de libera judicium esto) sufficienter subordinatur DEO ac ab eodem movetur, quod causa secunda non agat, nisi per virtutem agendi receptam a prima causa, & ab hac continuo influxu in esse & in operari conservatam. Licet autem instrumenta illa, quæ separata sunt, cujusmodi est calamus respectu scribentis, & penicillus respectu pingentis, eo ipso quod non sint essentialiter instrumenta talium causarum, debeant aliquid recipere a causa principali, ut illi subordinentur, illa tamen instrumenta, quæ sunt conjuncta, qualia in sententia Thomistarum respectu anima sunt ejusdem potentiae, ad hoc ut anima per ipsis agat atque sibi illas in agendo subordinatas habeat, non debent aliquid recipere ab anima, sed sufficit, quod accipiant ab anima se ipsis, & totum suum esse; sic eodem modo cum cause creatæ respectu Dei, sublatis tamen omnibus imperfectionibus, subeant rationem instrumenti conjuncti, non accipiunt a Deo aliquam qualitatem impressam sive præmotionem, ut ei instrumentaliter subordinentur, sed satis est, quod accipiant ab eo se ipsis & totam suam virtutem activam.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Ratio conclusionis quoad alteram partem in eo est, quod cum prædeterminatione physica non cohæreat libertas causæ creatæ; Causa enim libera est illa, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis adhuc potest agere & non agere, aut etiam contrarium agere; per §. 6. atqui posita prædeterminatione physica qua voluntas v. g. præm ovetur ad amandum DEUM, non amplius potest agere & non agere; nam voluntas cum prædeterminatione physica hebet omnimodam necessitatem ad amandum DEUM.

§. XXXIX.

Nec ex hoc labyrintho educeris, si dicas voluntatem præ-determinatam ad amandum DEUM habere necessitatem ad amandum solum in sensu composito, sicut is, qui sedet in sensu composito sessionis & dum sedet, necessario sedet, & est im-possibilis ei ambulatio, quamvis in sensu diviso possit simpli-citer non sedere. Nam respondetur distinctionem hanc ni-hil ad rem facere, nec stante hypothesi voluntatem liberam dici posse. Ratio est, quia voluntas in sensu diviso a præ-de-terminatione per dissentientes non potest agere, eo quod illi desit necessarium aliquid requisitum nempe qualitas præ-de-terminativa; In sensu vero composito non potest non agere; sed quando voluntas non potest agere, non est libera, & quan-do non potest non agere, itidem non est libera ad agendum; Ergo nunquam est libera ad agendum, & tamen libertas con-sistit in hoc, ut quamdiu non est conjuncta cum effectu, etiamsi sint posita omnia prærequisita ad agendum, possit non agere, per d. §. 6. alioquin etiam posset dici, quando aliquis detinerur in carcere vincitus catenis, liberum illi esse egredi e carcere, quia licet in sensu composito cum catenis, non possit egredi, ab-solute tamen est liber ad egressum, quia in sensu diviso a ca-tenis,

tenis posset libere egredi: imo verius esset liber, quam qui prædeterminatus est, quia hic solutis catenis potest abire, ille vero sublata DEI prædeterminatione velut necessario præquisitus & sine quo agens non est proxime potens agere, nullo modo potest agere. Molin. in concord. lib. arb. disp. 26. q. 14. Conimbricens. 2. Phys. cap. 7. q. 12. & 13.

§. XXXIX.

Taceo nunc, quod prædeterminatio hæc præterquam, quod tollat libertatem causæ secundæ, etiam faciat Deum auctorem peccati; argumentor: Quicunque peccatorem disponit, moveat, præmovet, prædeterminat & inclinat ad peccandum, ille est vera causa peccati, saltim moralis. DEUS ex hypothesi hoc facit. E. Minor est dissentientium: Major ex terminis, eorumque apud omnes acceptance claret. Quod enim facit peccatum esse, & ad ejus existentiam, quantum potest, operatur; adde, quod est illud, propter quod & quare committitur, illud est causa peccati; Nec distinguimus cum Lalemandet: Curs. Phil. p. 407, inter materiale & formale peccati, quasi Deus moveat & prædeterminet tantum materiale, non etiam formale peccati; contra enim est, quod heic de peccato quatali & formaliter intra conditiones & circumstantias eas, intra quas peccati rationem adipiscitur, spectato sermo sit; quod ut tale DEO tribui nequit, ut patet. E. nec illud, unde id necessario provenit, nempe prædeterminatio.

§. XL.

Imo ulterius stante ista prædeterminatione per realem præcedaneam actionem & præmotionem, cui causa secunda obsecundat & quidem irresistibiliter, evinceretur peccata, ad quæ peccatores incitantur & prædeterminantur non solum fieri ad intentionem voluntatis divinae, adeoque conformiter legi & consequenter absque *avocia* & ratione peccati, quod im-

implicat, sed & insuper creaturam quoque ab omni illegalitate absolvit indeque injuste ad supplicia trahi, omnem autem culpam, si quæ est, & culpabilem agendi modum transferri in Deum; si enim præsente prædeterminatione voluntas nostra non potest non agere, & absente ea non potest agere per §. 38. omnino ad peccatum fertur per modum peccaminosum, si quidem ille in agente ponit libertatem, & in actione dissonantiam a lege, quod utrumque stante prædeterminatione deficit in homine, ac proinde ab illegalitate & omni prorsus noxa immunis erit. Vid, Cardin. Robert. Bellarmin. lib. 4. de Grat. & lib. Arbitr. c. 14.

§. XLI.

Modos quidem singunt, quies putant Dëum ab *atra* *etia* peccati fore absolvendum. (1) Quia moveat voluntatem impuram, hinc actum quoque impurum reddi, non a Deo præmovente, sed a voluntate hominis depravata. (2) Actionem astimandam esse ex fine, qui ex parte DEI semper bonus sit, ad illustrationem quippe gloriæ divinæ tendens.

§. XLII.

Sed respondeatur ad Primum: (1) Sequi juxta istum modum omnia peccata esse quacunque a voluntate etiam fidelium proficiuntur, quia voluntas nostra in hac infirmitate semper jacet in sua corruptione. (2) Non esse quæstione in de impuritate subjectiva, sed objectiva & formalis hujus vel illius actus. Nec (3) voluntatem semper impuram fuisse, sed quandoque puram & integrum vel in homine, vel Diabolo; unde ergo nunc primi peccati *atra*? Imo (4) et si ista causa secunda excusari non posset, nondum tamen ostensum qui DEUS absque impuritate tacito illo imperio & efficaci traxi causam secundam ad turpem actum incitare & irresistibili modo inclinare posset?

D 2

§. XLIII.

§. XLIII.

Ad secundum respondetur (1) supponi falsam hypothesin; DEUM nempe per peccata tanquam ordinata ad istum finem media promotum ire nominis sui gloriam, hoc esset velle malum, ut inde eliceretur bonum. (2) Finem ex parte Dei non posse dici bonum, nisi bona etiam licita & pura includat media juxta regulam: malum est ex quolibet defectu, bonum ex integra causa. (3) Ita afferendam esse divinæ intentionis bonitatem, ne quid adversus ejus justitiam, benignitatem, & puritatem admittatur, sed quæ benignitas vel justitia Patris, præcipere Filiis quidem salutaria, sed tamen ad noxia propellere? præscribere legem, & tamen ad legis violationem trahere? prohibere mala, & tamen ad ea movere? prout alibi hac de re jam fusius diximus.

§. XLIV.

Sic ergo cum satis superque evictum sit, nullo prorsus modo, & ad nullam actionem voluntatem hominis præmotri & prædeterminari irresistibiliter, ut adeo ad matrimonium ineundum, vel cum hac aut illa ineundum necessitetur, sed liberam esse voluntatem & se ipsam determinare, ut proinde liberum omnino sit homini eligere vel spernere matrimonium, nec ad hanc vel illam personam necessitetur, ne a DEO quidem aut coeli decreto; Consequens est haud multum negoti facetusurum illud vulgare, die Che werden im Himmel gemacht; cui proinde removendo & ad §. 30. respondendo, ubi non nihil adhuc indulserimus, colophonem imponemus.

§. XLV.

Dicimus ergo ad d. §. 30. fato vel decreto divino durch welches die Che im Himmel gemacht werden / suam posse, debere & oportere stare certitudinem & infallibilitatem,

et-

etiam si voluntas hominis sua libertate non privetur. Ratio est, quia decreta DEI ordine causa determinationem voluntatis nostrae non antecedunt, sed sequuntur. E. ejus libertatem non laedunt nec impediunt: Consequentia per se patet. Antecedens probatur, quia decreta DEI praescientiam ejus presupponunt, praesentia autem DEI voluntatis nostrae determinationem non antecedit, alias enim nulla prorsus, ut ex superius dictis constat, esset voluntatis nostrae libertas, omnia necessario fierent; nam quia decreta DEI sunt infallibilia, certe juxta decretum illud vel conformiter legi, vel legi disformiter semper ageremus, prout vel ad bonum vel malum tenderet intentio decreti; & hoc modo iterum DEUS efficeretur autor peccati, nullaque in rerum natura foret contingentia, uti quidem putat *Calvinus lib. 3. Inst. c. 23. sect. 7.* sed refutatus a *Calovio in Syst. Theol. Tom. 2. c. 10. quest. 7. p. 525. & seq.* quia ergo ut dixi praesentia DEI voluntatis nostrae determinationem non antecedit, sed sequitur, & a determinatione voluntatis nostrae ad prævisionem DEI V. C. non V. V. consequens est prævisionem DEI libertatem nostram non laesuram, & proinde multo minus decreta, quæ praesentiam sequuntur. Nou ergo sequitur posse creaturam nolle id, quod DEUS decrevit, uti *Chamier d. tom. 3. lib. 2. de libero Arbitr. c. 4. n. 12. & seq.* inde deduci posse opinatur, quia DEUS nil decernit, quam quod in tempore electuram vidit creaturam, & ideo creatura id in tempore vult, quod velle eam in tempore prævisum in omni æternitate a DEO; non autem hoc vult, quia DEUS prævidit, quæ falsa est causalis, sed quia hoc potius præalio ex libertatis dono sive quoad exercitium, sive specificationem actus eligit, ad quam volitionem hominis olim & in æternitate prævisam demum formatur decretum, quod proinde non potest esse causa volitionis humanæ.

§. XLVI.

Declarabimus rem exemplo; DEUS ab æterno prævidit Ludovicum XIV. Galliæ Regem, si Rex fieret, in tempore moturum Hollandis bellum; decrevit ab æterno DEUS Ludovicum facere Regem. Ludovicus vi decreti in tempore fit Rex, & bellum movet Hollandis. Heic ea ratione ponitur in tempore constitutio ejus in Regem absolute existens, cum bello Hollandico, qua ab æterno prævisa est habitura effectum si poneretur, & totus status conditionatus fit absolutus eo modo, quo erat conditionatus: Ita etiam pari modo: DEUS ab æterno prævidit me, si in tempore producerer, ducturum Mæviam; Decrevit ab æterno DEUS me producere, ego vi decreti in tempore existo & duco Mæviam: Heic ea ratione ego in tempore absolute existo & duco Mæviam, qua ab omni æternitate me facturum prævidit Numen, ut in præcedenti exemplo.

§. XLVII.

Ecquis nunc non videt bellum Hollandicum Ludovici, meumque cum Mævia matrimonium ab æterno prævisum ratione prius fuisse & DEI præscientia & ejusdem decreto? Prius enim ratione Ludovicus erat bellum moturus, si Rex fieret, quam eum bellum moturum esse, si Rex fieret, DEUS ab æterno prævidebat; idem de matrimonio. Non enim propterea bellum moturus erat, si Rex fieret, quia DEUS hoc futurum esse prævidebat, sed quia bellum moturus erat, si Rex fieret, DEUS prævidit: nec Mæviam ego duco, quia DEUS prævidit, sed quia in tempore eam eram ducturus, ideo prævidit DEUS. Ergo futurito belli Hollandici in Ludovico, cum conditione, si Rex fieret, & matrimonii mei cum Mævia sub conditione, si quidem in tempore existam,

ab

ab æterno erat ratione prior quam DEI præscientia. Porro præscientia DEI, qua ab æterno prævidebat, fore, ut si Ludovicus in tempore Rex fieret, moveret bellum, ab æterno erat ratione prior, quam decretum DEI. Propterea enim quia prævidebat ab æterno Deus Ludovicum fore gravem bello Hollandis, si Rex fieret in tempore, ab æterno etiam decrevit, quod eum in tempore Regem esset constituturus; Hanc itaque fuisse seriem jam liquet; Futuritio belli Ludovici, si Rex fieret in tempore, & matrimonii cum Mævia, erat ratione prior præscientia Dei, præscientia decreto.

§. XLVIII.

Hinc nunc argumentamur: Quicquid sequitur determinationem voluntatis humanæ, id voluntatem humanam non determinat; Decreta Dei sequuntur determinationem voluntatis humanæ, & de cœta Dei voluntatem humanam non determinant. Major probatione non eget; Causa enim in ratione causæ effectum semper antecedit, nunquam sequitur. Minor ex dictis patet.

§. XLIX.

Obsignamus dissertationem nostram verbis Bellarmin. dict. lib. 4. de Grat. & lib. arbit. c. 15. scribentis: Deus ab æterno determinavit omnes effectus, sed non ante prævisionem determinationis causarum secundarum, præsertim contingentium & liberarum. Et paulo post: Neque ratio providentie postulat, ut DEUS ante omnem prævisionem omnia prædeterminaverit, sed solum ut nihil fiat, sine ejus prævisione & cooperatione vel permissione. Alioquin etiam peccata prædeterminasset ante prævisionem male voluntatis, & ideo malam voluntatem esse voluisse, ut inde peccata jam prædeterminata prodirent, que est heresis absurdissima & aperta blasphemia. Neque Domi-

nus

¶ (32) ¶

nus in Evangelio diceret, unum ex passeribus non cadere in terram sine patre nostro; sed diceret; unum ex passeribus non cadere in terram, quem pater noster in terram non dejiciat.

§. L.

Vigilans ergo esto quisquis matrimonium es initurus, tuo enim arbitrio si in ulla re alia, certe maxime in hac polles; sciturus, quomodo id ineas, eodem etiam modo ab æterno id esse prævisum; nec te propterea id initurum, vel cum hac aut illa persona initurum, quia hoc matrimonium in cœlo ita sit determinatum, sed quia Numen olim vidit, te in tempore taliter contracturum, taliter etiam tibi rem cessuram decreuisse, & hoc modo non nisi verum esse quod dicitur: Die Ehe werden im Himmel gemacht.

Tantum.

Gloria Tibi JESU!





